

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Girsaeos I. Sam. XXVII, 8. Contemplatvr Simvlqve Viro ...
M. Adolph. Bogislao Grvlichio Svperintendenti Ecclesiae
Et Dioeceseos Fravenpriesniziensis Spectatissimo**

Koecher, Hermann Friedrich

Ienae, MDCCLXXXIII

VD18 12966924

urn:nbn:de:gbv:45:1-14943

Theol. V. 17
G I R S A E O S

I. SAM. XXVII, 8.

C O N T E M P L A T V R

S I M V L Q V E

V I R O

PLVRIMVM REVERENDO ATQVE
AMPLISSIMO

M. ADOLPH. BOGISLAO
GRVLICHIO

SVPERINTENDENTI ECCLESIAE ET DIOECESIOS
FRAVENPRIESNIZIENSIS SPECTATISSIMO

NOVVM MVNVS DEMANDATVM
SVPERINTENDENTIS ECCLESIAE ET DIOE-
CESEOS NEOSTADIENSIS AD ORILAM

P I E G R A T V L A T V R

M. HERMANN. FRIDERIC. KOECHERVS,


REVER. MINISTER. VINARIENS. CANDIDAT.

I E N A E

LITTERIS FICKELSCHERRII STRANCKMANNIANIS

M D C C L X X I I I .







Diu satis occasionem exoptavi, TIBI, *Vir plurimum reuerende, atque amplissime,* obferuantiam meam et quanti TE faciam, publice declarandi. Quae cum mihi nunc fausto fidere sit oblata, cum a coetu sacro *Frauenprisnitzienſi*, quem huc huc uſque TVA cura et adminiſtratione egregie ornauiſti, ad eccleſiam *Neſtadienſem* vocatus ſis Superintendens et Paſtor primarius, eandem libentiſſime arripio ſimulque TIBI de nouo hoc munere ſacro, quo TIBI maioris coetus ſacri et dioceſeos amplioris inſpectio demandata eſt, ſincera ac pia mente gratulor. Laetus accedo amicis TVIS, et vota mea cum ipſorum votis coniungo. Deus optimus maximus TIBI hanc ipſam muneris mutationem fauſtiſſimam eſſe iubeat, TIBI ſeros Neſtoris annos, proſperam valetudinem et omnia benigniſſime largiatur, quae votis TVIS reſpondent, ſimulque a TE et ornatiffima familia TVA omnia malorum genera longiſſime auertat. Eo libentius haec TIBI apprecor, quo certius perſuaſum habeo, TE non ſolum ſumma fide ac pietate hanc novam ſpartam adminiſtraturum, verum etiam plurima adhuc eruditionis et doctrinae TVAE monumenta in publicam lucem editurum eſſe. Me

A

vero,

vero, qui numquam non doctior ex doctissimis
Tuis colloquiis mecum institutis discessi, ut, si-
cut adhuc fecisti, Tuae amicitiae ac fauori ha-
beas commendatissimum, et praesentem scriptun-
culam animi mei Tibi devinctissimi tesseram acqui-
bonique consulas, etiam atque etiam peto.

Occurrit locus memoratu dignus in Veteris
Testamenti tabulis, quem Masorethae virgula sua
cenforia tetigerunt, et quem eo libentius haec scrip-
tione illustrandum sumsi, quo certius confido, locum
hunc, prouti in textu hebraico secundum *Cthibh*
legitur, vindicari posse, et quo exoptatior fuit
mihi occasio saltem aliquam licet tenuem symbolam
ad illustrationem Geographice sacrae antiquae
conferendi. Legitur iste locus 1. *Samuelis* XXVII,
commate 8. Extat ibidem in vulgaribus Bibliorum
hebraicorum editionibus vox *גִּרְזִי*, quam Inter-
pres Vulgaetus literis et punctis servatis expres-
sit: et de Girzi. Mallem potius vertere: et *Ge-
rasaeum*, *Gerasenum*, cuius interpretationis ratio-
nes infra adducam. *Masorethae in Kri*, quos
etiam secutus est *Paraphrastes Chaldaeus Jonathan
Ben Vsiel*, pro hac voce legi malunt *גִּרְזִי* literis
transpositis, prouti etiam legitur in codice poste-
riori *Regiomontano* observante LILIENTHALIO (*De-
script. codic. Regiomontan. pag. 211.*) Hinc etiam
exprimunt Interpretes graeci iique *Alexandrini* tum
in codice *Alexandrino* tum in *Complutensi* ac regio
per

per vocem Γεργάιον, quam transpositionem acutissimus criticus LUDOVICVS CAPPELLVS (*Critic. Sacr. Lib. IV. cap. 11. pag. m. 282. edit. Paris.*) non immerito ex alia lectione codicis manu exarati, quem isti consuluerint, καὶ τὸν Ζέγει, derivandam esse arbitratur. In aliis huius graecae versionis editionibus, *Romana*, *Aldina* et *Wecheliana* penitus omissa legitur haec vox, unde forte silentium Iosephi de hae gente derivandum est; quod observavit Perill. MICHAELIS (*Bibliothec. oriental. et exegetic. Part. VII. pag. 205.*) Masorethas imprimis ad hanc lectionem, quam supra memoravi, lectioni scriptae praeferendam movit crebrior urbis Geser, quae etiam Gafer scribitur, in sacris litteris facta mentio (Ios. X, 33. XII, 12. XVI. 3. 10. XXI, 21. Iudic. I, 29. II. Samuel. V, 25. I. Reg. IX, 15. 16. 17. I. Chron. XIV, 16. quo etiam forte referas II. Maccab. X, 32. ubi legitur *Gazara*), quam alii duplicem faciunt cum IOHANNES LIGHT-FOOTH (*Chorograph. Matthaeo praemissa cap. 75. Tom. II. Oper. pag. 225. edit. Roterod.*) alii triplicem cum ANDREA MASIO (ad Ios. X, 33. Vid. *Criticor. Anglicanor. sacror. Tom. II. pag. 1716. edit. Londinens.*) Harum urbium, quae nomine *Geser* in monumentis antiquae Geographiae celebrantur, una sita erat in tractu Philistaeorum versus Aegyptum. Non lubet hic plura de situ et fatis eiusdem adferre, cum otium iam mihi hac



in re fecerint Io. CHRISTOPH. WICHMANNSHAVSENIUS (*differt. de Samaria. Witteb. 1714. §. XVI.*) et BACHIENIVS (*Beschreib. von Palaestina. Tom. II. Part. III. §. 474. seq. pag. 200.*). Quam civitatem cum postea Pharaon rex Aegypti in gratiam Salomonis generi sui expugnauerit (1. Reg. IX, 15. 16.), etiam ipse loci huius situs Aegypto vicinus suadere poterat, ut incolas huius urbis per *Gistraeos* intelligerent viri docti. Cum vero in loco nostro memoretur, Davidem gentes istas hic notatas usque ad fines Aegypti infestasse hostili impetu, hinc nonnulli crediderunt, eosdem incolas Geser urbis laesos esse a Dauide. Hoc autem, quod Dauides tranquillam conditionem incolarum huius urbis crebris suis incursionibus turbauerit, haud verisimile mihi quidem videtur, cum constet, eosdem isto tempore sub tutela et imperio Philistaeorum extitisse, quorum in protectione David tunc temporis tamquam exul profugus vitam degebat, qui profecto fidem suam sine dubio Philistaeis datam, ut tractum Philistaeorum potius ab omni iniuria defenderet quam impugnaret, certe grauius, quam par erat, violauisset, id quod de religioso viro Dauide concipi profecto nequit. Deinde constat ex serie historiae sacrae a Samuele in sequentibus narrata (1. Samuel. XXX, 1. collat. XXVII, 6.) nonnullos populos a Dauide aggressos iniuriam sibi illatam vindicare.

vindicaturos urbem Ziklag Philistaeorum imperio isto tempore subiectam, quam rex Philistaeorum Achis paulo ante Dauidi dono dederat, exussisse et depopulatos fuisse. Hinc apparet omnino, quod isti populi fuerint Philistaeis inimici, cum eorum regionem non minus invaderent quam Chalebi posteros et Israelitas. Omnis autem Philistaeorum tractus Aegypto erat vicinus, ut exinde Palaestinam vel Syriam invadentes earum urbes expugnauerint, in iisque sedes suas posuerint, et contra ex Syria in Aegyptum tendentes in his civitatibus sua reliquerint impedimenta. Hinc omnino talia praedicantur de his gentibus, quae de incolis urbis *Geser*, amicis et subditis Philistaeorum affirmari nequent, unde etiam nec Dauides iustam causam habuit eosdem male habendi, quod si fecisset, maximam certe odii ac inimicitiae vim a Philistaeis sibi contraxisset, quod certe ipsi in tempore isto afflictionis suae, quo eorum tutela indigebat, evitandum fuit. Quominus autem in nostro loco incolas alterius urbis *Geser* dictae, quae in meditullio Palaestinae sita erat, intelligamus, varia obstant. Quamvis enim ii ipsi, qui hanc civitatem nostro in loco innui sibi persuadent, provocare queunt ad victorias Iehoschuae reportatas, qui inter alios etiam regem profligasse (Ios. X, 33.) narratur, quam ob causam *Geser* huius



incolae hic loci sedes suas sibi fixerint, etiam tamen haec hypothesis magnis premitur difficultatibus. Non tantum enim in loco Iosuae memorato memoratur, quod Iosua nullos huius urbis incolas reliquerit, sed eosdem ad interuersionem usque deleuerit, unde nec istius urbis incolae in vicinia tractus Philistaeorum novas sedes sibi parare potuerunt; sed etiam de iis, quibus mitior fortuna contigerat victrices Iosuae manus effugiendi, constat, eosdem sese paulo longius ferme in ipsos Africae fines subduxisse, et ipsas Herculis columnas transiisse. Haec enim de *Gergesaeis* in *Talmude* (*Codic. Schebinoth Hierosolymitan. fol. 36. col. 3. lin. 46.*) referunt doctores Iudaici, et de omnibus *Phoenicibus* tradunt *PROCORIVS* (*Lib. II. de Bello Vandalico pag. m. 222. edit. Leunclav.*) et *SVIDAS* (in *Lexico* s. u. *Χάρακρ. Tom. II. p. 1109. edit. Colonienf. Aemilii Porti*), eosdem haud procul ab urbe Numidia *Tingen* dicta columnas candidis lapidibus compositas erexisse, quibus verba inscripta fuerint consignata idioma te Phoenicio: *Nos ii sumus, qui fugimus a facie Iosuae latronis*, unde verisimile sit, eos sedes tam longinquas tantum hac ex ratione petiisse, quoniam saluti et securitati suae in vicinia Philistaeorum parum confiderent. Vt taceam, illas ipsas gentes, quas *Dauides* aggressus est, haud nuper demum in istam plagam secessisse, sed potius expressis

pressis verbis perhibetur, מְעוֹלָה h. e. ab antiquissimis temporibus et ab ipsa prima origine orbis inter posteros Noachii post diluvium divisi, ipsos sedes has inhabitauisse, unde non immerito eosdem huius regionis fuisse αὐρόχθονας dixeris. Fere ob eandem causam damnanda videtur sententia IACOBI BONFRERII (*Onomastic. urbium et locorum* inserto Nicol. Sanson *Geographiae sacrae* pag. 81. edit. Amstelodam. 1704. fol.) et IOH. CLERICI (*Commentar. ad I. Samuel. XXVII, 8. pag. 267.*), qui per *Girsaeos* nostro in loco memoratos eosdem intelligere malunt populos, qui alibi *Gerreni* appellantur (II. Maccab. XIII, 24.), quorum urbs a PTOLOMAEO (*Geograph. Lib. V. cap. 15. pag. m. 140. edit. Gerhard. Mercatoris*) et STRABONE (*loco infra citando*) *Gerra* (Γέρρα) appellatur, cuius ciuitatis situs a PTOLOMAEO et STRABONE inter Gazam et Pelusium fere in vicinia regionis Philistaeae collocatur, ex sententia autem b. lo. ERNEST. FABRI (*Annotation. in Harmar. Beobachtungen ueber den Orient. P. 3. II. pag. 219.*) versus occidentem montis Casii quaerendus est, unde unius et dimidii miliaris spatio a Pelusio distat. Memorat ipse PLINIVS (*Histor. natural. Lib. VI. cap. 32. Volum. II. pag. 717. edit. cel. Franz.*) recensens diuersas partes Arabiae *sinum Gerraicum* ab oppido isto satis amplo *Gerra* dictum, cuius incolae ab aliis scriptoribus dicuntur thus et aromata ex Arabia

in Palaestinam deportauisse. Verum isti populi *Gerreni*, licet cum Sabaeis omnium Arabum fuerint locupletissimi, non erant tamen huius regionis *αυτοχθόνες*, quales nostro in loco innui supra iam obseruaui, sed potius nuper demum eo tracti, atque ob id ipsum *Gerraei* quasi *גֵּרִים* peregrini vel *גֵּרִים* advenae dicti. Confirmantur haec testimonio STRABONIS (*Geograph. Lib. XVI. pag. m. 885. edit. Xylandri Basileens.* cuius verba de hoc argumento Xylander sequentem in modum latine transtulit: *In interiore (profundo) sinu urbs iacet nomine Gerrha, quam Chaldaei tenent, e Babylonia extorres. Quibus verbis mox idem subiungit: Gerraei negotiatione fere terrestri tractant Arabum merces et aromata. Aristobulus contra ait, Gerrhaeos frequentius in Babyloniā ratibus mercatum ire, atque inde per Euphratem Thapsacum cum mercibus adnavigare, postea vero quo libeat pedestri itinere eos deferri.* STEPHANVS BYZANTINVS (*de urbibus, voc. Γέρρα. pag. m. 207.*) hanc *Gerram* vocat *Chaldaeorum urbem*. Quae omnia prorsus non conueniunt cum verbis, quae in textu nostro post mentionem factam *Gersaeorum* sequuntur, in quibus refert auctor sacer, incolas huius terrae huic sedi iam ab antiquissimis temporibus fuisse adscriptos. Ex his falsitas sententiae CLERICI abunde patet, cum ea iisdem fere, quibus ea de priori *Geser* laeborabat, premitur difficultatibus.

Sed

Sed ne diutius lectores morer, ingenue dicam, quid mihi in tanta sententiarum de voce גֵּרָסָא, quae hic in Cthibh deprehenditur, varietate verisimile videatur, ex quibus simul lectio Γέρας Cthibh forte quodammodo defendi poterit. Proxime, quod mihi quidem videtur, urb's perantiqua *Gerasa* graece Γέραςα dicta ad sonum hebraearum vocum גֵּרָסָא vel גֵּרָסָא acaedit. *Gerusenorum* incolarum huius urbis mentionem fecerunt *Vulgatus Interpres* latinus et codices nonnulli graeci in duobus clarissimis Novi Testamenti locis (Marc. V, 1. Luc. VIII, 26. 37.) de qua lectione digni omnino sunt, qui conferantur *S. V. GRIESBACHIVS* in editione *Novi Testamenti graeci Volum. I. pag. 94. et Perillustr. MICHAELIS Introduct. in N. T. Part. I. §. 102. pag. 641. sequ.* In his locis pro voce Γάδασηνών legunt hi codices Γέραςσηνών, quos ipsos hic per vocem hebraicam גֵּרָסָא, quae in nostro Cthibh legitur, innui persuasum mihi habeo. Sed paulo altius situm huius urbis ut investigem necesse est. Hic iterum in diversa abeunt scriptores Historiae pariter ac Geographiae antiquae. Nonnulli enim eorum hanc ipsam ciuitatem *Gerasam* ad *Coelesyriam* pertinuisse Decapolitanis adscriptam perhibent, quae sita fuerit in extremis regionis trans Iordanem versus Orientem. Ita sentiunt *IOSEPHVS* (*de Bello Iudaico Lib. II. cap. 18. num. 1. Tom. II. Operum pag. 197. edit. Havercamp.*)

camp.) STEPHANVS BYZANTINVS *de urbibus voc. Γέρασα* pag. m. 205. edit. Iac. Gronou. et PTOLOMAEVS (*Geograph. lib. V. cap. 15. pag. m. 101.*) Addit IOSEPHVS (*de Bello Iud. Lib. III. cap. 3. §. 3. Tom. II. Oper. pag. 223.*) praeterea ad situm huius urbis paulo accuratius exprimendum, Peraeam ab Oriente ab urbibus Philadelphia et Gerasa claudi, unde forte BONFRERIVS (*Not. ad Hieronym. de locis hebraicis s. uoc. Gadara*) urbem Gerasam iuxta Philadelphiam collocavit. Alii autem, EVSEBIUM et HIERONYMUM (*de locis hebraicis* sub voc. Γέρασαι secuti urbem istam ad Arabiam referre malunt. Posterior ex his *Gerasam* recentiori tempore nomen ipsius *Arabiae* fuisse observat (*Comment. in Obadiam vers. 19. Operum Tom. VI. pag. 96. edit. Francofurt.*) his verbis; *Beniamin autem — cunctam possidebit Arabiam, quae prius vocabatur Galaad, et nunc Gerusa nuncupatur.* Uterque autem affirmat: *Gerasa est urbs insignis Arabiae.* Consentit cum illis praeter alios quoque AMMIANVS MARCELLINVS (*Historiar. Lib. XIV. cap. 8. pag. m. 34. edit. Gronou.*), qui, cum mentionem faceret Arabiae, situs et praecipuorum locorum eius, haec subiungit verba: Haec (scil. Arabia) quoque *civitates habet inter oppida quaedam ingentes, Bostram, Gerasam atque Philadelphiam, murorum firmitate cautissimas.* In quae *Ammiani* verba doctissime haec commentatus est HENRICVS VALE-

VALESIVS (*Annotation. ad Ammian. loc. citat.*): *Huius urbis meminit Hieronymus in Interpretatione locorum hebraicorum. Gergazi civitas trans Iordanem iuncta monti Galaad, quam tenuit tribus Manasse, et haec esse nunc dicitur Gerasa urbs insignis Arabiae. Et in catalogo episcoporum, qui Chalcedonensi synodo subscripserunt, recensetur Flaccus Gerasorum provinciae episcopus.* Sed si paulo accuratius hos omnes huc usque adductos scriptores inter se conferamus, et cum istis ea comparemus, quae supra ex Novi foederis tabulis adlata sunt, vere conveniunt omnes in solo regionis nomine discrepantes, quod vel confinia cuiuslibet non omnes aequaliter diviserint, vel progressu temporis Arabiae fuerit tributum, quod olim Gileaditidi tribuendum fuit. Quo ipso autem parum lucis adferri potest nomini urbis, quod nostro in loco exprimitur, cum eo usque excursionem suas vix extendere poterat Davides, quippe qui in parte versus Palaestinam occidentali tunc temporis commorabatur, Geraseni autem ad extremam Peraeae Orientem in plaga Palaestinae Euroboreali habitabant, unde eorum tractus ipsi fuit e diametro oppositus. Hinc, ut tandem omnes tenebrae in hoc vexato loco dispellantur, observo dari etiam urbem Gerasam in *Arabia Petraea*, cuius mentionem fecit praeter alios PTOLOMAEVS (*Geograph. Lib. V. cap. 17. edit. Gerhard. Mercatoris*), cuius situs ab eodem haud procul a
 finu

finu Aeluritico collocatur. Eandem haud obcu-
re innuit VALESIVS (*loc. supra citato*) supra ad-
ductis verbis haec adiiciens: Ex PTOLEMAEO
duas nomine Gerasa urbes esse discimus, alteram
in *Syria Coele*, cuius meminit Stephanus, alteram
vero in *Arabia Petraea*. Plura de hac urbe attu-
lerunt RELANDVS (*Palaestin. Tom. I. lib. II. pag.*
463. et BACHIENIVS (*Palaestin. Tom. II. Part.*
IV. pag. 376. §. 832. Haec ipsa Gerasa in Ara-
bia Petraea sita ex sententia veterum, quae an ea-
dem sit, quae hodie *Dschiors* memorante S. V.
BÜSCHINGIO (*Geograph. nov. Part. V. Sect. I. pag.*
501.) appellatur, me nescire libenter fateor, cum
BÜSCHINGIVS eandem ad Arabiam *desertam* referat,
optime textui nostro respondere videtur. Hinc
perinde erit, si vel concipias, quod incolae hu-
ius urbis crebris incurfionibus valde vexati inde
migraverint versus Orientis partes supra descri-
ptas pristino suo nomine Gerasaeorum vel Gera-
senorum servato, siue quod aliter res euenerit.
Hinc habitabant isti Gerasaei haud procul ab Ae-
gypti finibus in parte Palaestinae meridionali, vi-
cini quidem Amalekitis, sed ab iisdem diuersi.

Simili fere ratione, qui in nostro loco in se-
quentibus verbis occurrunt Gessuraei, gentem se-
paratam ab Amalekitis, quibus tantum vicini fue-
runt, constituebant. Sedes eorum iuxta alia loca
sacri codicis inter se conferenda (*Deut. III, 14.*
Ios.

Ios. XII, 5. XIII, 11. 13. II. Sam. XIII, 38. XV, 8.) quaerenda est ad ortum Iordanis in septentrionali Gileaditidis plaga, quae Syris est contermina. Caeterum obseruauit SALIANVS (*Annalib. ecclesiastic. V. T. Tom. III. pag. 187. ad A. M. 2979. num. 16.*) duplicem urbem, quae Gessur dicta fuerit, unam trans Iordanem Syriae conterminam, quae propterea Gessur Syriae appellatur, alteram vicinam Amalekitis, quae in nostro loco occurrat, extra terminos regni Israelitarum versus mediem sita, cuius nulla praeter nostrum locum in sacro codice mentio sit facta. Ad vocem hebraicam, quae hanc gentem Gessuraeorum exprimit, quod attinet, ab ea varia ratione discesserunt LXX. Interpretes et IOSEPHVS. Priores enim similitudine vocabulorum forte decepti eandem in codice Alexandrino interpretati sunt per Γεσσεῖ, et in exemplari Romano per Γεσσεῖ; posterior autem (*Antiquitat. Iudaic. Lib. VI. cap. XIII. §. 10.*) Σεσσητας concipit, cum forte Gimel initiali extruso legerit ששן, de qua lectione discrepante doctissime verba fecit Perill. MICHAELIS (*Bibliothec. oriental. et exegetic. Part. VII. pag. 205.*). Certe de Gessuraeis statuendum est, eosdem vel bello ab Israelitis victos huc migrauisse incertis vagantes sedibus, vel pagos apertos et omni munitione destitutos saltem inhabitauisse, quos exiguae militum turmae, quae alias urbibus munitis expugnandis

gnandis haudquaquam sufficerent, facili negotio
euertebant. Denique verba postrema huius com-
matis haud obscure significant, quod incolae me-
morati loci non fuerint perpetui, sed pristini sal-
tem, qui successu temporis alias sibi quaesuerint
sedes, paucis quibusdam suae originis ibidem re-
lictis. Hic enim sensus est verborum: וְיָהִי כֵן
cet. quasi dicas vocibus transpositis: istae urbes
seu inhabitatores urbium sunt, quae vel qui ab
aeterno seu olim quidem inhabitauerunt terram istam,
licet illam ipsam non amplius inhabitauerint, cum
auctor librorum Samuelis hanc Davidis historiam
literis consignaret.

